

Widz Ioan. Ios: Unio Regni Sarmatici pretiosissimus B. Ioannes Cantius Conclusionibus Aristotelico-philosophicis naturalibus — luci publicae exhibitus.






VNIO
REGNI SARMATICI PRETIOSISSIMUS,
B. JOANNES CANTIUS,



Regni Poloniæ, & Academiæ
PATRONUS;
CONCLUSIONIBUS
Aristotelico-Philosophicis Naturalibus,
Ad mentem D. THOMÆ DOCTORIS ANGELICI,
CONCINNATIS,
SUB PRÆSIDENTIA
M. ADALBERTI IOSEPHI DZIELSKI,
Collegæ Minoris, Philosophiæ Doctoris, Ordinarij Pöeseos, ac interea Cursûs Vladislaviano-Philosophici Professoris.

A

IOANNE IOSEPHO WIDZ,
In Alma Vniversitate Cracoviensi, Ejusdem Philosophici Cursûs, I. V. & Eloquentiæ Auditore,
SOLENNI DISPUTATIONE,



Devoto Calamo,
Luci Publicæ
EXHIBITUS.

9.9.99.

Anno Unionis cum Carne Humana
DEI Patientis, 1700. *Die 27. Iunij, Horis pomeridianis.*

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



Pectora nectareo quòd recreet imbre JOANNES,
Copia tam magni CHRISTUS amoris adest:
Frontibus & doctis quòd ponat præmia digna,
Laurea de Cœlo missa corona docet:
Aurea Sceptra proin Studiorum prospera Mater,
Supponit pedibus supplice corde Suis.

DIVINISSIMO REGNI POLONIÆ, ET ACADEMIÆ, TUTELARI.

Obilis irradians Eoi littora ponti
Non mihi gemma placet;
Non lumen magnum fundens Garamantis, ad imum
Et mihi pectus erit:
Dives Hydaspeis turgescat, mens mala conchis!
Me mea Gemma trahis!
O Splendor, Summumq; Decus, Lux maxima CANTI!
Deliciumq; Poli!
Tu radios fundens, animis es Gratia dulcis,
Et favor & studium.
Prosper Atlantiades facundos imbuis ausus,
Dogmata Tuq; doces:
Gloria Tu vasti resplendens omnia Regni
Perficis, atq; regis.
Ingens Tu Lumen, Craciam Qui protegis Vrbem,
Qui Cathedrasq; Sophûm
Protegis, & Reges; cùm Majestate Serena
Efficis vt niteant.
Sarmatici Solij Tu semper nobile Germen,
Spes, Columenq; favens;
Hostiles cuneos, immitis prælia Martis,
Sævaq; bella fugas.
Si quando Phlegeton tectis incendia volvat,
Agglomeretq; rogos:

Aût Libitinâ feros si mittat pallida somnos,
Falceq; cuncta metat:
Munere Tu præstans, & Gratia certa IOANNES,
Dulce levamen ades.
Nam precibus sacris inflectens ritè Tonantis
Magnificum Solium,
Præcipites flatus infundis prospere flammis,
Fataq; sæva domas.
Tu miseris ardes certam præstare salutem,
Et dare suppetias.
Qvi CHRISTVM media nudum plus parte lacertos
Vestieras gelidum,
Ne rigeat tellus glacialibus vsta pruinis,
Per Tua vota facis.
Flumina nectarei Qvi lactis sorte novâsti,
Lac fluat vt populis
Evincis, pectus devotum Altaria Sacra
Si Tua solicitet.
Vestibus innocuis (plebis pia vota fatentur)
Certa medela subes:
Eripis & multos properato à limine mortis,
Fers precibusq; dies.
Mentibus es Lumen teneris, & Gloria celsa,
Sydereumq; Decus.
Phœbe sacer, purum Cracij Iubar atq; Trionis,
Fac precor, vt tenerum
Rexeris ingenium, non dedignatus opellæ
Munera Sacra Tibi:
Gemmam Te veneror Cœli, telluris & imæ,
Te quoq; Gemma cano.
Fac! niteas animo Te per Tua Busta precantis,
Vniò sisq; mihi,

Jstud
à Majestate Tua Cœlesti devotissimè deprecor.

JOANNES JOSEPHVS WIDZ,
In Alma Universitate Studij Generalis Cracoviensis, Cursûs Philosophici I. V. & Eloquentiæ Auditor.

CONCLUSIONES
EX PHILOSOPHIA NATVRALI.
Ex Disputatione Procemiali

I.

PHysica est verè, & propriè scientia; illaq; purè Speculativa; vna specie à thomâ; Metaphysicæ non subalternata propriè: cujus Obiectum formale & adæquatum, est Ens mobile radicaliter sumptum.

II.

IN hac Scientia à magis Vniversalibus ad minùs Vniversalia procedendum est; magisq; Vniuersale, quale est Ens concretum quidditati materiali, est primum Cognitum intellectûs nostri; & notius quo ad nos cognitione Originali actuali confusa: cognitione verò habituali, quæ fit absq; præsentia Obiecti externi, æquè notum est Ens aliaq; superiora attributa, ac minùs Vniversalia: quæ verò fit ab Obiecto externo præsenti, notius est minùs, quàm magis Vniversale.

III.

AD cognitionem quiddıtatiuam Substantiarum completarum, sufficit cognitio Causarum intrinsecarum; ad omninò autem in suo genere perfectam, requiritur etiam cognitio causarum extrinsecarum, per se, non item, per accidens: ad cognitionem verò rei simpliciter perfectam, necessaria est cognitio omnium causarum tam internarum, quàm externarum; tam per se, quàm per accidens; tam propinquarum, quàm remotarum; omniumq; principiorum & attributorum: quæ quidem cognitio simpliciter & absolutè perfecta seu comprehensiua, est valdè difficilis, imò ferme impossibilis ex parte intellectûs nostri, cùm taliter rem cognoscere, solius DEI sit.

EX TRACTATV,
Quatuor Libris Prioribus Physicorum Correspondente.

IV.

PRincipia rerum Naturalium rectè definiuntur, quòd non fiant ex alijs, nec ex alterutris, sed omnia ex illis fiunt. quæ quidem principia, *in fieri*, sunt tria: Materia, Forma, & Priuatio: in *facto esse*, duo: Materia & Forma. exceptis quibus, alia, quæcunq; illa sint, sive Veterum, sive Recentiorum, atq; Chimicorum, vti futilia, subsistere nequeunt. Porro Forma, & Priuatio, sunt contraria; illaq; prima. quæ vna cum Materia, sumpta Vniversaliter, conveniunt solùm in ratione Analoga principij, idq; secundùm proportionalitatem. licèt sumpta sigillatim conveniant in ratione vnivoca. Contra negantes principia, idq;, si sint Cognoscendi, non est disputandum Physico; si verò sint essendi, potest disputare contra illos. Idem Physicus nequit disputare de suis principijs, per sua principia propria, sed solùm prout assumit habitum Metaphysici, vel Logici.

V.

DAtur Materia prima in rerum natura; realiter Entitatiuè distincta à formas; rebus in primo mundi exordio à DEO concreata; ab Aristotele rectè definita, quòd sit primum subjectum vniuscuiusq; rei, ex quo aliquid fit, cùm insit per se, & non secundùm accidens; & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum. quæ licèt sit Ens reale Substantiale (puta incompletum) ita tamen est pura potentia, illaq; passiua, vt omnem omninò excludat actum etiam Entitativum, & Metaphysicum. quæ potentia est de essentia Materiæ, siue hæc consideretur Physicè, siue Metaphysicè. Vnde etiam Materia, non est cognoscibilis per se, sed solùm per Analogiam ad formam: nec potest secundùm se imprimere in potentia cognoscente speciem sui impressam; est tamen nobilior accidentibus: se ipsâ est potentia immediatè receptiua formarum Substantialium. quæ potentia est conceptus secundarius, & veluti proprietas Metaphysica, prædicabilis tamen in recto de ipsa essen-

Essentia, & primo conceptu; sicut Vnum, Verum, Bonum prædicantur de Ente: ante adventum formarum nullas habet dimensiones, etiam interminatas: nullam quoq; habet existentiam ex se, (sicut nec subsistentiam) nec illius suscipiendæ est capax immediate: & nec per absolutam DEI potentiam, potest existere sine omni forma (quâ illam denudari implicat): non potest similiter existere sine vlla forma, per existentiam Increatam sibi vnitam: quapropter fictitiæ sunt existentiæ partiales, tenentes se ex parte Materiæ & formæ, antequam hæ intelligantur vnitæ: (quemadmodùm etiam gratis adstruitur forma Corporeitatis illi coæua & inseparabilis) Præcisè & secundùm se spectata independenter à forma, non est vna Specie vel numero, imò nec genere, vnitate positiva, sed solùm negativâ: est ingenerabilis & incorruptibilis terminatiuè, licèt sit radix & principium, illudq; primum generationis & corruptionis: appetit omnes formas sublunares, idq; appetitu vehementissimo; futuras quidem appetitu desiderij; præsentes autem & præteritas, appetitu delectationis: magisq; formas perfectiores, quàm imperfectiores. & primariò Substantiales, secundariò accidentales; qui appetitus Materiæ, est intrinseca illius Entitas, non tamen nudè sumpta.

VI.

PRivatio, est carentia formæ in subjecto apto: strictè sumpta (quæ est principium Entis Naturalis) non est privatio formæ specificæ præcisè, sed vt indiuiduatæ: secundùm id, quod dicit in recto, est Ens rationis: secundùm verò id, quod dicit in obliquo, est Ens reale: distinguitur realiter à Materia & Forma magisq; ab hac, quàm ab illa, idq; distinctione negativa, non positiva.

VII.

DAtur Forma Substantialis, quæ est actus primus corporis Physici, seu Materiæ primæ; ex quo fit vnum per se, & non secundùm accidens: quæ forma ratione compositionis Physicæ, est Actus simplex & purus, non item ratione compositionis Metaphysicæ: hæc, vtpote compars compositi Physici, non est tota quidditas rei Naturalis, licèt forma totius sit eiusmodi: omnis sublunaris, exceptâ animâ rationali, est generabilis & corruptibilis, non quidem per se & primariò, sed per accidens & secundariò; idest ratione Compositi: nulla illarum est diuisibilis in partes, per se, & ratione sui: vna alteri non contrariatur contrarietate propria: singulæ Materiales sublunares de genere Substantiæ, educuntur de potentia materiæ: (à qua naturaliter non possunt separari) immateriales verò non item; imò, nec per absolutam DEI potentiam, anima rationalis potest educi de potentia Materiæ (ad cuius vnionem cum corpore generans, non solùm antecedenter causat dispositiones, sed etiam ab intrinseco & consequenter causat ipsam vnionem Substantialem): Formæ quoq; Cœlorum & Elementorum in prima sui productione non sunt eductæ de potentia materiæ, sed ad creationem totius concreatæ: Formæ tandem Accidentales, quæ non habent necessariam connexionem cum Subiectis, educuntur de potentia illorum; quæ verò hanc connexionem habent, non educuntur ex illis, sed vel coëducuntur, si Forma Substantialis educitur; vel concreantur, si illa creatur. Vna Forma Substantialis non potest informare plures Materias: nec plures formæ etiam subordinatæ vnam numerô Materiam; etiam per absolutam DEI potentiam. quapropter sufficit vna forma specifica in viventibus; frustraq; ab aliquibus admittitur forma corporeitatis, distincta ab illa.

VIII.

IN Composito Physico, Materia & Forma (quæ essentialiter & intrinsecè constituunt illud) seipsis vniuntur immediatè. vnde non datur vnio, seu nexus realiter ab illis distinctus, qui sit causa vniens, sed solùm vt est effectus: qui nexus *in fieri*, est passio; in *facto*, autem *esse*, est ipsa communicatio mutua, in qua fundatur proximè relatio vnionis. Anima humana, non vnitur Materiæ propter existentiam, sed propter connaturalem modum essendi & operandi, quam habet in illa, immutaturq; immutatione Spirituali, quæ est subiectiuè in materia, & producitur à DEO effectivè illam infundente corpori, vel reuniente per resurrectionem. Mutatio & relatio, quæ accidunt Materiæ & formæ vt vnitis, subiectantur in illis, tanquam in Subiectis *vt Quo*; dependenter tamen ad esse totius, tanquam subiecti *vt Quod.* non tamen totum denominatur vnitum, sed habens vnionem partium,

In illis,

In illis, in quibus immutatio seu communicatio fit in duobus extremis, tanquam in duobus subiectis, vnio est duplex realiter formaliter, quæ tamen Entitatiuè potest dici vna & simplex: in illis verò, in quibus immutatio fit tantùm in vno extremo; alterum verò solùm se habet vt purus terminus, est vnica. Compositum Physicum non distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis & vnitis. Quod idem dicendum est de alijs Compositis.

IX.

NAtura propriè sumpta, rectè & Essentialiter ab Aristotele definitur, quòd sit principium & causa motûs & quietis, eius in quo est primò, per se, & non secundùm accidens: cuius ratio convenit vnivocè Materiæ & Formæ, in quas illa rectè & adæquatè dividitur: ab Arte distinguitur realiter, licèt in aliquibus conveniat cum ea; estq; perfectior illâ simpliciter: Ars verò hâc solùm secundùm quid. quæ quidem Ars, per se & immediatè, nullo modo potest efficere opera Naturæ, sed solùm aliqualiter, directivè & mediatè. vnde etiam illam non perficit quò ad Substantiam, sed solùm quò ad modum & perfectionem accidentalem. Licèt ab Angelis sive bonis, sive malis, beneficiô & industriâ Artis Chimicæ (quæ est pars Magiæ naturalis) possit effici verum aurum, non tamen ab hominibus: quapropter Ars conficiendi illud, est vana & perniciosa.

X.

CAusa definitur, quòd sit id, ad cuius esse sequitur aliud. vt sic adæquatè & vnivocè diuiditur in Materialem Formalem, Efficientem & Finalem. Si tamen causa sumatur pro influxu stricto, seu pro sola Actione agentis; vel ratione Entis, & ex parte effectûs; vel ratione modi causandi, & ratione intentionis, dicta Divisio est Analoga. Omnes quatuor habent inter se strictam connexionem seu vinculum: omnis realiter distinguitur à suo effectu. quo est prior, vt causans in actu secundo, non quidem prioritate temporis, sed prioritate Naturæ à quo: estq; perfectior illo secundùm quid; vtpote respectu causandi: simpliciter verò seu in genere Entis non omnis est perfectior illo. Causæ Extrinsecæ simpliciter, & entitativè sumptæ, quandoq; sunt æquè perfectæ ac sui effectus; quandoq; perfectiores; quandoq; imperfectiores.

XI.

CAusalitas causæ Materialis seu materiæ in Actu primo, est propria & nuda illius Entitas Substantialis, non verò aliquid sibi superadditum: in actu verò secundo, est vnio illius cum forma, limitatio eiusdem, & compositi constitutio: quæ tres partiales causalitates non distinguuntur inter se realiter, sed solùm virtualiter. Eadem Materiæ causalitas non est distincta realiter ab Entitate Materiæ quantùm ad id, quod dicit in recto; secus, quantùm ad id, quod dicit in obliquo. Effectus Materiæ, *Quo*, & veluti intermedius, est forma vt recepta & limitata in materia: *Qui* verò & vltimatus, est ipsum compositum. Licèt materia priùs naturâ sit causa formæ tanquam effectûs sui *Quo*, quàm compositi, per se tamen primò & principaliter, est causa compositi.

XII.

SImiliter causalitas causæ Formalis seu formæ in actu primo, est propria & nuda eius Entitas Substantialis, non verò aliquid superadditum: in actu verò secundo, est vnio illius cum Materia, seu informatio Materiæ, limitatio eiusdem, & compositi constitutio. quæ tres partiales causalitates non distingvuntur inter se realiter, sed solùm virtualiter aut Ratione Ratiocinata; inquantum scilicet vna potest concipi sine alia, tanquam vnus conceptus inadæquatus sine alio. Eadem causalitas formæ non est distincta ab ipsa Entitate formæ tanquam aliquid sibi superadditum, sed solùm penès extrinsecas conditiones, quas connotat & requirit. Quæ causalitas formæ licèt sit constitutio compositi, non tamen suppositi. Effectus formæ *Quo* & veluti intermediùs, est materia vt actuata: *Qui* verò & vltimatus, est ipsum compositum. DEVS non potest supplere causalitates causæ materialis & formalis.

XIII.

IDea seu exemplar est verè causa, quæ propriè pertinet ad causam formalem extrinsecam; impropriè verò etiam ad causam efficientem, & finalem. In DEO licèt vnica sit species expressa seu vnum verbum, infinitæ tamen sunt in illo ideæ.

 Causa-

Causalitas ideæ in actu secundo, est imitatio seu formatio rei ab extra secundùm illam.

XIV.

CAusa efficiens est id, vnde primò producitur motus; rectè diuiditur in Causam per se & per Accidens: Per se, subdiuiditur in Principalem, & Instrumentalem: quarum prior iterum varias habet subdivisiones: Causalitas illius seu principium agendi in actu primo, illoq; remoto & radicali, est forma Substantialis; principium verò in actu secundo seu proximum & immediatum producendi actiuè Substantiam, sunt accidentia; quæ sunt facultates seu virtutes formæ Substantialis: Principium *Quo* principale producendi accidentia, sunt ipsa accidentia, quibus agens est instructum; in productione Substantiæ accidentia nullum ab ea recipiunt influxum, quò confortetur proprius illorum concursus. Proprietates seu Passiones non fluunt ab essentia per veram actionem mediam, distinctam, ab ea per quam à generante producuntur. Essentia respectu proprietatum, quæ ab illa emanant, propriè & strictè non habet rationem Causæ efficientis seu principij Actiui, sed solùm impropriè & reductiuè ad se pertinet. Naturalis emanatio Passionum ab Essentia, consistit in ordine exeundi illarum per Essentiam ex vi vnius & eiusdem actionis præcisæ. Dicta Causa efficiens seu agens non potest naturaliter agere in distans, non agendo per medium; benè tamen de potentia Supernaturali: omne agens Naturale creatum habet determinatam Sphæram suæ activitatis, vltra quam agere non potest.

XV.

CAusa prima concurrit actu ad operandum cum Causis secundis concursu simultaneo. idq; immediatè, tàm immediatione virtutis, quàm suppositi: qui quidem concursus simultaneus Causæ primæ & secundæ, est vna & eadem actio, nullaq; est partialitas tam ex parte causæ vel actionis; quàm ex parte effectûs. Porro præter concursum simultaneum, dicta Causa prima concurrit etiam concursu præuio ad operandum cum Causis secundis; qui concursus efficienter & infallibiliter determinat voluntatem; non tamen, vllo modo lædit eius libertatem. Causæ Vniversales quales sunt Cœli & astra, mouent quoq; ad operandum Causas inferiores: Causæ Vniversali debet correspondere effectus Vniversalis, & particulari particularis.

XVI.

CAusa Instrumentalis seu instrumentum Physicum, indiget motione seu eleuatione principalis Agentis ad producendum effectum: de cuius instrumenti ratione non est, vt propriâ actione attingat Physicè effectum principalis Agentis: prævia tamen illius actio necessaria est propter delationem imperij, & virtutis Causæ principalis ad effectum, ac propter modificationem actionum agentis principalis. quæ actio non distinguitur realiter Entitatiuè ab actione principalis Agentis, sed solùm formaliter. Instrumenta Agentis Increati, & Agentium creatorum differunt inter se.

XVII.

CAusa finalis seu finis est id, cuius gratiâ aliquid fit: diuiditur in finem *Cuius* & *Cui*. qui fines non sunt simpliciter duo, sed tantùm sunt duæ rationes vnum finem totalem & completum constituentes. A Divo Thoma finis dividitur in formalem, seu *Quo*; & Obiectivum, seu *Qui*: Ab alijs in vltimum & non vltimum. qui quidem finis, est Causa vera realis Physica, licèt ex proprio modo causandi non petat necessariò existere à parte rei, sed tantùm in apprehensione. Causalitas illius in actu primo, seu ratio formalis constitutiva in ratione Causæ Finalis, est sola bonitas, idq; non secundùm esse intentionale seu apprehensum, sed secundùm esse reale. vnde malum sub ratione mali non potest appeti, sed sub ratione boni: & sicut aliquid abstractum à bonitate & malitia, non potest habere rationem Finis; ita nec indifferens: Causalitas verò Finis in actu secundò, est motio metaphorica, seu potius ipsum mouere ad se metaphoricè voluntatem; non verò præcisè ipse actus voluntatis, nec ipsa præcisè ostensio bonitatis, aut inuitatio Obiectiva finis, nec aliquid intentionale Physicum voluntati immissum & superadditum à Fine. Omne Agens naturale agit propter finem. homines quidem & Angeli propriè & formaliter; bruta verò impropriè & materialiter: DEUS quoq; in suis actionibus liberis & transeuntibus agit propriè propter finem; non tamen in actionibus immanentibus, nisi sublatis omnibus imperfecti-

oni-

onibus. Licèt natura sumpta, pro causa prima intendat per se monstra; sumpta tamen pro causis secundis non intendit illa, intentione primaria, sed tantùm secundaria.

XVIII.

PRioritas & perfectio inter causas quo ad existentiam est hæc, quod efficiens sit prima & perfectior alijs; secunda, finis totalis seu compositum; tertia, Forma; quarta, Materia: Prioritas verò & perfectio causalitatis hæc, quòd Extrinsecæ sint priores & perfectiores Intrinsecis. & inter extrinsecas prior & perfectior Finalis Efficiente: inter intrinsecas verò prior Materia, quàm Forma; perfectior autem Forma, quàm Materia. Licèt causæ eiusdem generis, & ordininis, non possint sibi esse invicem causæ, benè tamen diversi generis, & ordinis; idq; vel quoad esse, vel quoad causalitatem, quæ mutuò sibi in causando cohærent. Duæ totales, & adæquatæ eiusdem generis, & ordinis, non possunt producere eundem numero effectum, non tantùm simul, sed etiam divisim; idq; tàm naturaliter, quàm supernaturaliter.

XIX.

DAntur Fortuna & Casus in creaturis; non tamen in DEO. & quidem Fortuna rectè ab Aristotele definitur, quòd sit causa per accidens in his, quæ rarò fiunt, & propter finem, secundùm electionem: Casus verò, quòd sit causa per accidens in his, quæ rarò fiunt, & propter finem, sed non secundùm electionem seu propositum. Datur quoq; Fatum in sensu Catholico acceptum: quod à Divo Thoma 1. p. q. 116. ar. vlt. definitur, quod sit ordinatio Divina earum rerum, quæ sunt futuræ in tempore juxtà suas causas: à Boëtio 4. de Consol. Philosophiæ, quòd sit inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio; per quam providentia DEI, suis quæq; nectit ordinibus: ab alijs, quòd sit præordinatio seu ordo & dispositio causarum secundarum, facta à DEO ab æterno ad executionem effectuum, quos illius providentia infallibiliter, & suavissimè decrevit. Dictum Fatum non est causa efficiens, sed aliquid illius: dicitq; aliquid absolutum, & aliquid relativum; formalissimum tamen illius est quid relativum, seu relatio & ordo. Creatio rerum, justificatio hominum, glorificatio Beatorum, & alia id genus, non subsunt fato. Providentia DEI, Prædestinatio, Fatum, Fortuna, & Casus, differunt inter se.

XX.

MOtus secundùm Aristotelem definitur, quòd sit actus Entis in potentia, prout in potentia. quæ definitio convenit non solùm Motui successivo; sed etiam instantaneo; prout Motus hic sumitur pro Mutationibus corporeis, & à Materia dependentibus; quæ sunt actus imperfecti. Sub dicta definitione simpliciter & absolutè, non continentur Motus Artificiales, & violenti, sed solùm secundùm aliquam similitudinem. Idem Motus prout convenit mutationibus successivis, & instantaneis Physicis, dividitur in quatuor species, scilicet, secundùm Substantiam, Quantitatem, Qualitatem & Vbi: non distinguitur realiter ab actione, passione, & termino; nec sola ratione ratiocinata; sed realiter modaliter. qualiter etiam actio, passio, & terminus distingvuntur inter se: ad actionem & passionem Physicam, non habet se vt genus, vel vt aliquid superius essentiale, sed veluti subjectum *Quo*: omnis etiam localis subjectatur in mobili; sicut & actio transiens; licèt hæc causaliter & originativè procedat ab agente; superfluumq; est illam subjectari tàm in agente, quàm in passo: falsum quoq; est, quòd illi ex propria ratione non conveniat subiectum inhæsionis, sed solùm denominationis, & emanationis ab agente.

XXI.

NOn datur, nec potest dari tam Naturaliter, quàm Supernaturaliter infinitum actu, in genere Entis creati, quomodocunq; sumatur. licèt autem DEVS, non possit producere vllam creaturam actu infinitam; potest tamen quâcunq; producta, aliam, & aliam in Essentia perfectiorem, producere in infinitum Syncategorematicè. Si infinitum daretur actu, vnum non posset esse majus altero.

XXII.

LOcus, est superficies vltima continentis immobilis prima: in qua definitione superficies non tenet locum generis, sed subjecti. Duo vel plura corpora quanta, simul non possunt esse Naturaliter in eodem loco; benè tamen Supernaturaliter; jam verò vnum idemq; corpus, etiam Supernaturaliter non potest esse simul in duobus, vel pluribus locis circumscriptivè. Locus Naturalis differt à Mathematico.

XXIII.

NOn datur, nec potest dari Vacuum Naturaliter; bene tamen Supernaturali-
ter. quod si Naturaliter daretur, posset in illo fieri Motus successivè, seu in tem-
pore; non verò in instanti. Motus gravium sursum, & levium deorsum, ad re-
plendum Vacuum, si consideretur in ordine ad Naturam Vniversalem illorum,
id est, vt sunt partes Vniversi, est Naturalis; imò Naturalissimus: si verò conside-
retur in ordine ad Naturam ipsorum particularem, est violentus. Si in Vacuo
poneretur homo, posset exercere multas operationes, & sensationes vitales; non
tamen omnes. Si terra totaliter annihilaretur, non posset homo, vel quodcunq;
animal, movere se motu progressivo. DEVS verè existit non solùm in Vacuo
determinatò, de quo hîc; sed etiam in indeterminato. seu, in spatijs imaginarijs.

XXIV.

TEmpus, est numerus motûs secundùm priùs, & posteriùs. quod licèt quoad a-
ctum secundum mensurationis (quæ est complementum illius extrinsecum)
sit quid rationis; quoad formale tamen illius, seu quoad actum primum, quæ
est mensura radicalis, est simpliciter Ens reale, quantùmvis diminutum: distin-
guitur realiter à motu, non quidem vt res à re; sed vt realitas à realitate: est du-
ratio essentialiter distincta ab alijs durationibus; s. ab æternitate, & æuo. quæ qui-
dem duratio, imò & omnis alia creata distinguitur realiter modaliter à re duran-
te: idem tempus existit solùm ratione instantis seu nunc, existentiâ propriè, &
simpliciter sumptâ; ratione verò partium (licèt realium & realiter transeunti-
um) nonnisi existentiâ impropriè, & secundùm quid sumptâ, idest secundùm
fieri. Porro Tempus si sumatur secundùm rationem mensuræ certissimæ, vnifor-
mis, & nobilissimæ, est tantùm vnum numero. quod subjectatur in primo mobi-
li: si verò sumatur essentialiter, sic, quamvis non multiplicetur essentialiter &
specificè; multiplicatur tamen materialiter, & numericè, ad multiplicationem
motuum, & subjectorum. Hoc idem Tempus, præcipuè sequitur motum localem,
eumq; circularem; etsi possit sequi etiam ex alijs motibus successivis. Non so-
lùm primum Cœlum, motu suo, mensurat motus rerum sublunarium; sed etiam
quemlibet alium Orbem mensurando proprium suum motum intrinsecè, potest
extrinsecè mensurare alias durationes particulares. Substantiæ generabiles &
corruptibiles, consideratæ secundùm essentiam & quidditatem præcisam, & se-
paratam ab existentia, non mensurantur tempore; mensurantur tamen illo con-
sideratæ secundùm esse existentiæ.

EX TRACTATU,

Quatuor Libris Posterioribus Physicorum, Correspondente.

XXV.

AD Quantitatem, Qualitatem, & Vbi datur per se motus; non item ad reliqua
prædicamenta: Vnitas illius generica desumitur ex vnitate prædicamenti;
specifica à Termino ad quem, formaliter accepto; Vnitas verò numerica ab V-
nitate mobilis, termini ad quem, & temporis. idq; indispensabiliter, & sufficien-
ter. Idem esto judicium de distinctione, seu diversitate generica, specifica, & nu-
merica motuum, quorum contrarietas sumitur à terminis ad quos. Idem mobi-
le, non potest moveri per se simul motibus contrarijs, secundùm eandem partem,
etiam in gradibus remissis naturaliter; potest tamen supernaturaliter. Quies
contrariatur motui. & hæc vna, alteri: datur privativa in puncto reflexionis.

XXVI.

IN Continuo dantur actu indivisibilia, tàm Continuativa, quàm Terminativa.
idq; verè & positivè. quæ indivisibilia distingvuntur realiter modaliter à
partibus Continui. ex quibus etiam hoc, & non tantùm ex solis indivisibilibus
componitur: quæve in illo sunt actu & formaliter; idq; realiter inter se distin-
ctæ. Porro sicut partes proportionales, ita & indivisibilia, non sunt actu infini-
ta, sed solùm potentiâ in Continuo.

XXVII.

REs successivæ, scilicet, motus & tẽpus, incipiunt & desinunt extrinsecè. seu, per
instans

instans extrinsecum. idest, incipiunt per vltimum sui non esse; & desinunt per primum sui non esse. ita, vt nec per absolutam DEI potentiam possint desinere per vltimum sui esse. Indivisibilia motûs & temporis, vt sunt mutata esse in motu; & instantia in tempore, incipiunt intrinsecè, vtpote per primum sui esse, & desinunt etiam intrinsecè, idest per vltimum sui esse. Res per motum acquisibiles, quales sunt qualitates materiales vg calor, frigus, in fieri consideratæ, quatenus fiunt cum expulsione contrarij, incipiunt & desinunt extrinsecè: jam verò consideratæ in facto esse, id est, secundùm gradum determinatum, intrinsecè. Quies privativa, quæ est opposita motui, eodem modo incipit & desinit, quo & motus; negativa verò, vt & indivisibilia. Res permanentes, illæq; materiales & corruptibiles incipiunt intrinsecè, & desinunt extrinsecè: Res verò incorruptibiles & immateriales, incipiunt vel per instans intrinsecum, vel per extrinsecum.

XXVIII.

OMnes res Naturales Viventes, habent suæ magnitudinis terminum intrinsecum. seu, *Maximum quod sic*; non viventes verò, solùm extrinsecum. seu, *Minimum quod non*: jam verò res Naturales, tàm viventes, quàm non viventes, habent suæ parvitatis terminum intrinsecum. seu, *Minimum quod sic*.

XXIX.

OMne, quod movetur, ab alio mouetur. Movens actu, & mobile distingvuntur realiter saltim inadæquatè. Gravia & levia mouentur per se à generante vt à principio *Quod*, principali, proximo, & extrinseco: Violenter projecta principaliter & primariò, à proijciente; instrumentaliter verò & secundariò, seu proximè, ab impulsu, illis & aëri circumstanti, impresso ab eodem proijciente. Indivisibile non movetur propriè & per se, sed tantùm impropriè & per accidens, vtpotè ad motum continui. Mouens & mobile debent esse simul. Ex motu, optimè potest deveniri ad cognitionem primi Motoris, vnius, & immobilis; imò & ad cognitionem aliorum Eius attributorum. qui quidem Motor, pro Obiecto primario suæ intellectionis, & volitionis, habet se ipsum; pro secundario autem alia à se, sed perfectissimè: idem Motor omnia mouet, & efficienter, & finaliter.

EX TRACTATU, Libris Quatuor de Cœlo & Mundo, Correspondente.

XXX.

LIcèt mundus, tam quo ad res permanentes, quàm quo ad successivas, potuerat esse ab æterno; in tempore tamen factus est. qui quidem de facto est tantùm vnus, & in suo genere perfectus; possunt tamen plures & perfectiores in infinitum à DEO produci; quem Aristoteles verè agnovit esse factum: productus autem est tempore verno, idq; sex dierum spatio. licèt alij in æstate Mense Iulio; alij in Autumno illum productum esse asserant: iuxta Martyrologium à Creatione ejus effluxêre Anni 6899: à parte pòst, non est duraturus in æternum, nisi quoad Cœlos & elementa, idq; sub statu perfectiori: posset tamen sic durare, vt nunc est, cum solo concursu generali, seu ordinario DEI in æternum.

XXXI.

CÆlum neq; est elementum; neq; compositum ex elementis; sed ex materia & forma. Materia Cœlorum non est eiusdem rationis cum materia sublunarium; imò nec materia vnius Cœli, cum materia alterius Cœli. est tamen vna omnium Cœlorum specie subalterna seu genere: vtraq; tam Cœlorum, quàm sublunarium, non habet distinctionem ex se, sed ex diverso respectu ad formas. ratione quarum Cœli distingvuntur inter se specie, & non solùm numero. quemadmodum etiam astra inter se distingvuntur. Iidem Cœli sunt inanimati; solidi; ex natura sua, seu ab intrinseco incorruptibiles; licèt ab extrinseco possint corrumpi: sunt contigui; figuræ Sphæricæ. non tamen quodlibet illorum est vna simplex Sphæra: Mobiles sunt decem, vndecimum immobile, vtpotè immobilis DEI, & Beatorum sedes sempiterna: quoad Orbes, quò sunt superiores, eò nobiliores; non tamen quo ad astra. quæ astra seu stellæ tam fixæ

 quàm

quàm errantes, maximam lucis partem mutuantur à sole, licèt etiam ex se habeant aliquid lucis. Eædem stellæ non scintillant, quamvis videantur scintillare.

XXXII.

CÆli non moventur à seipsis, sed ab Intelligentijs sibi assistentibus, ita vt cuilibet Cœlo, imò & cuilibet Orbi particulari; & epicyclo adsit propria Intelligentia Motrix. quæ Intelligentiæ sunt ex secunda Hierarchia; & ex Ordine Virtutum; moventq; Cœlos per actum imperij, qui actus est actus intellectûs (præsupposito actu voluntatis sibi applicato) & exprimitur sic: *fiat hoc*, ideſt fiat motus Cœli, vel moveare. estq; actus iste formaliter immanens, & virtualiter transiens. Porro Intelligentiæ motrices non possunt defatigari. quarum mouens primum mobile residet in parte ejus Orientali; aliæ verò in parte Occidentali singularum Sphærarum; si partes Cœli sumantur formaliter. Vni Cœlo vnus tantùm competit motus proprius & Naturalis; præter quem, quodlibet Cœlum habet alios motus præternaturales. Motus Cœli in communi sumptus ex parte principij passivi, est naturalis simpliciter; ex parte verò principij activi, solùm secundùm quid. Omnes Cœli influunt in hæc inferiora, idq; per lumen, calorem, motum, & qualitates occultas seu secretas. ideſt à sensibus nostris imperceptibiles: non tamen influunt in intellectum & voluntatem humanam, nisi indirectè, & per accidens; & adhuc magis indirectè in voluntatem, quàm in intellectum. Signa Zodiaci varios in aëre causant effectus: concurrunt tam ad dispositionem corporis humani; quàm ad inclinationes & mores: causant prætereà morbos in corporibus hominum sub se natorum: &, præsident Civitatibus, Provincijs ac Regnis. Astrologi futuros eventus contingentes, & casus fortuitos, atq; actiones liberas, seu ex voluntate humana pendentes, nullo modo ex astris prænoscere, & prædicere possunt: illos verò eventus futuros qui ex solo motu, & ordinatione Cœlorum pendent, possunt certò prænoscere, & prædicere: tandem illos, qui non solùm ex motu & influxu Cœlorum, sed etiam ex influxu elementorum pendent, possunt probabili conjecturâ prænoscere, & prædicere: similiter ex siderum præcognitione, certitudine quadam morali, possunt aliquem hominem felicem prædicere. Cessante motu Cœlorum (qui aliquando cessabit & deficiet) cessabunt etiam motus & actiones materiales sublunarium; non tamen actiones spirituales, & purè intentionales; quæ scilicet exercentur per diffusionem specierum in medio. quales sunt v.g. visiones.

XXXIII.

SItus & Ordo elementorum in mundo est iste: terra est in medio Vniversi seu in centro; aqua, super illam; aër, super hanc; tandem super aërem, ignis; ita, vt immediatè tangat concavum Lunæ. Elementa, quò sunt superiora, eò nobiliora. superiora sunt majoris circumferentiæ, non tamen majoris molis & profunditatis: hæc non gravitant nec levitant in proprijs locis: omnia sunt figuræ Sphæricæ; ita tamen, vt aqua & terra, vnum constituant globum: motus illorum in fine est velocior: terra, aqua, & aër, ratione sitûs & ordinis, habent suas divisiones: ignis, aër, & aqua, præter motum naturalem rectum, moventur ad motum Cœlorum. & quidem ignis, & suprema pars aëris perfectè circulariter ab Ortu ad occasum: aqua verò movetur huc & illuc juxta diversos siderum aspectus, & influentias: qualitates elementorum motivæ, vtpotè gravitas & levitas differunt inter se speciè.

EX TRACTATU,

Libris Duobus de Generatione & Corruptione, Correspondente.

XXXIV.

GEneratio Substantialis, est mutatio totius in totum, nullo sensibili manente subjecto: hæc distinguitur realiter ab alteratione, tam in ratione mutationis; quàm in ratione actionis: non resultat propriè ab alteratione: Subjectum illius est materia nudè sumpta: terminus primarius *Quo*, idq; partialis, est Forma Substantialis; totalis, est Natura integra: *Qui* verò, est persona, seu suppositum, seu compositum ex Natura totali seu Essentia, & ex subsistentia ac existentia; jam verò secundarius, sunt proprietates. Accidentia seu dispositiones (quæ se tenent ex parte subjecti, & pertinent ad causam materialem) consequentes Formam Sub-

Subſtantialem, in ſtatu generationis diſponunt materiam ad recipiendam eandem Formam. quæ quidem diſpoſitiones concomitantes Formam ſunt priores illâ, prioritate naturæ in genere cauſæ diſpoſitivæ, & materialis: Forma verò eſt prior illis, in genere cauſæ efficientis, & Formalis.

XXXV.

CORruptio Subſtantialis, eſt mutatio totius in non totum, manente communi materia: quæ quidem corruptio eſt mutatio naturalis reſpectu materiæ; violenta verò reſpectu formæ & compoſiti: diſtinguitur à generatione realiter in ratione mutationis, non tamen in ratione actionis; ab alteratione autem vtroq; modo realiter diſtinguitur: eſt poſterior generatione in genere cauſæ finalis, efficientis, & formalis; prior verò in genere cauſæ materialis: intenditur à natura Vniverſali ſaltim ſecundariò; licèt non intendatur à natura particulari: fit in illa reſolutio vſq; ad materiam primam: Subjectum ejus eſt materia nuda per remotionem formæ: terminus primarius *quo* partialis, eſt privatio formæ ſubſtantialis; totalis, eſt privatio naturæ totalis: *Qui*, primarius, eſt ſuppoſitum corruptum; ſecundarius autem, eſt ruina proprietatum.

XXXVI.

ALteratio Phyſica, eſt tranſmutatio ſubjecti in paſſionibus, aut contrarijs, aut medijs, eodem ſubjecto ſenſibili manente: vt ſic, rectè & adæquate dividitur in alterationem ſpecialiter dictam, in intenſionem, & remiſſionem: eſt motus continuus: terminatur ad qualitates tertiæ ſpeciei, idq; per ſe primò; ad alias verò, & præſertim ad primæ ſpeciei, ex conſequenti, & ſecundariò: excepta qualitate, non poteſt terminari ad alia prædicamenta, quoad præfatas eius ſpecies. Qualitates intenduntur per majorem ſui radicationem in ſubjecto; ſicut è contra remittuntur per minorem: non verò per depurationem à ſuo contrario; neq; per deſtructionem imperfectioris ſeu veteris, & adventum perfectioris ſeu novæ qualitatis; neq; per additionem gradûs ad gradum, ſeu partis ad partem: extenduntur verò, per additionem novi cujuſdam modi majoris actualitatis, & perfectionis; non autem per additionem qualitatis ad qualitatem.

XXXVII.

NVtritio & Augmentatio, tam in ratione actionum, quàm in ratione mutationum, diſtingvuntur interſe realiter: vtraq; propriè competit ſolis viventibus. quæ, dum nutriuntur & augentur, omnes eorum partes nutriuntur & augentur. Nutritio ſtrictè ſumpta, toto vitæ tempore durat: Augmentatio verò ſic ſumpta, tantùm ad certum ſtatum & ætatem: viuens toto tempore augmenti manet idem numero.

XXXVIII.

RArefactio & condenſatio, terminantur ad qualitatem: raritatis effectus primarius, eſt dilatare partes quantitatis in ordine ad ſe; ſecundarius, in ordine ad occupandum majorem locum: jam verò denſitatis effectus primarius, eſt comprimere ac reſtringere partes in ſe ipſis; ſecundarius, in ordine ad occupandum minorem locum.

XXXIX.

SImile, nullo modo poteſt agere in ſimile: majorq; requiritur activitas agentis ad agendum, quàm reſiſtentia paſſiva ſubiecti ſeu paſſi; non tamen quàm activa. Omne agens in agendo repatitur.

XXXX.

DAtur naturaliter mixtio ex Elementis, illiſq; omnibus, item ex alijs rebus vg. ex liquoribus, idq; tam ex diſtinctis, quàm ijſdem ſpecie, modò habeant qualitates contrarias, aut diſſimiles; non verò ſi habeant ſimiles: cauſa mixtionis non ſunt ipſa miſcibilia, ſed cauſæ ſuperiores. vtpotè DEVS, Angeli, Cæli, & Aſtra: Elementa in mixtis non manent formaliter, ſed ſolùm virtualiter. idq; ratione continentiæ primarium qualitatum, inter ſe attemperatarum.

XXXXI.

ELementum, eſt corpus, in quod alia corpora dividitur, inexiſtens potentiâ vel actu; ipſum autem eſt indiviſibile in alteram ſpeciem. Sunt autem elementa quatuor ignis, aër, aqua, & terra. quibus, primæ qualitates conveniunt in eo gradu, vt ignis, ſit calidus & ſiccus in ſummo; aër calidus & humidus citra ſummum, ſeu in remiſſo; aqua, humida in ſummo, & frigida citra ſummum, in valdè tamèn excellenti; terra, frigida in ſummo, & ſicca citra ſummum.

Ex quolibet elemento poteſt generari aliud immediatè, & quidem ex Symbolis, faciliùs generantur Symbola; quàm ex diſſymbolis diſſymbola: ex duobus tamen ſymbolis corruptis ad invicem, non poteſt generari tertium, ab illis ſpecie diſtinctum; licèt poſſit generari ex diſſymbolis, qualitates ſymbolæ in diuerſis elementis exiſtentes, ſunt ejuſdem ſpeciei.

XXXXII.

IN Mixtis, non non poteſt dari temperamentum æquale, ſeu ad pondus: ex inæquali, ſanguineum eſt optimum, tam ad vitam & ſanitatem; quàm ad ingenium. quamvis bilis ſeu cholera moderata, ſimul cum melancholia, multùm juvet ingenij acumen, ex quo, Ariſtoteles omnes ingenioſos ait eſſe melancholicos: phlegmatica verò complexio ſanitati, & ingenio contraria eſt. In eodem mixto, non poſſunt eſſe naturaliter qualitates contrariæ in gradibus intenſis, ſed ſolùm in remiſſis; benè tamen ſupernaturaliter ſaltim aliquæ. Res mixta permanens, ſemel corrupta, non poteſt iterum eadem numero reproduci naturaliter; licèt poſſit ſupernaturaliter: res autem ſucceſſiva etiam ſupernaturaliter reproduci nequit.

EX TRACTATU,
Libris quatuor de Meteoris, Correſpondente.

XXXXIII.

CAuſa Materialis Meteororum, ſeu Mixtorũ imperfectorũ remota, eſt terra, & aqua; proxima verò, vapor, & exhalatio: efficiens per ſe, ſunt corpora Cœleſtia, maximè tamen virtus ſolis, & aſtrorum: finalis, eſt diverſa: loca generationis illorum, ſunt terra, aqua, & aër; maximè verò aër: ignis autem, & corpora Cœleſtia, non poſſunt eſſe loca generationis eorum. Porro Meteora, præſagiunt varietatem temporum.

XXXXIV.

MEteora ignita, in omnibus tribus aëris regionibus generantur. & quidem in ſuprema, generantur Cometæ: in media, ſidera diſcurrentia, dracones volantes, fulgura ſeu coruſcationes, fulmina, & tonitrua: in infima, ſtellæ cadentes, capræ ſaltantes, ſidera volantia, faces ſeu flammæ, lanceæ, ignes, fatui, perpendiculares, & lambentes; Caſtor, Pollux, & Helena. quæ omnia differunt inter ſe magnitudine, figura, colore, motu, & alijs accidentibus. Generantur etiam in aëre Meteora, quæ ſpecialiter dicuntur aërea. qualia ſunt Iris, ſeu arcus cæleſtis, vorago, hiatus, corona, virgæ, parelij, venti, & alij turbulenti flatus. Præterea in aëre generantur Meteora aquea. vt ſunt nubes, pluvia, nebulæ, nives, grandines, granedulæ, gelu, glacies, ros, pruina, ſitus, mel, manna, & ſaccarum. Meteora quæ in aqua generantur ſunt hæc: maria, fòntes, lacus, fluvij, ſeu flumina, aut amnes, torrentes, ſtagna, paludes, & putei. Meteora, quæ circa terram generantur, ſunt montes, & inſulæ: quæ verò in terra, ſunt iſta: ignes ſubterranei, terræ motus, metalla, & foſſilia. Cryſtallus, ſuccinum, & coralium, potiùs in aqua, quàm in terra naſcuntur.

EX TRACTATU,
Libris tribus de Anima, Correſpondente.

XXXXV.

ANima, duplici definitione definitur. *primâ*, quod ſit actus primus corporis Phyſici organici, potentiâ vitam habentis: *ſecundâ*, quod ſit id, quô primò vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus. quarum definitionum vtraq; eſt eſſentialis. & prima demonſtratur per ſecundam, idq; à poſteriori. Triplex autem eſt anima Vegetativa, Senſitiva, & Intellectiva ſeu Rationalis. in vno tamen vivente nonniſi eſt vna. vnde non dantur in illo formæ partiales. Homo in ſui generatione, primò vivit animâ vegetativâ, deinde ſenſitivâ, tandẽ rationali. Quatuor humores, vtpotè ſanguis, flava bilis ſeu cholera, atra bilis ſeu melãcholia, & pituita ſeu phlegma: item dentes, vngves, capilli, informantur animâ totius, non item lac, & ſemen. Anima rationalis, & animæ perfectorum animalium, ſunt indiviſibiles; animæ verò plantarum, & animalium imperfectorum, diviſibiles. Modi viuendi ſunt quatuor, vegetativus, ſenſitivus, loco motivus, & Inte-

telle-

tellectivus. Potentiæ animæ quinq; , vegetativa, sensitiva, appetitiva, loco motiva, & intellectiva. quæ potentiæ distingvuntur realiter ab anima. dividunturq; in varias species. ex quibus organicæ, seu quæ in suis operationibus dependent ab organo corporeo. vt sunt auditiva, visiva, subiectantur immediate in composito: non organicæ verò, in sola anima rationali. Dictæ potentiæ specificantur ab actibus & Obiectis, idq; adæquatis, & formaliter sumptis, ab actibus quidem immediatè; ab Obiectis verò mediatè, vtpotè mediantibus actibus.

XXXXVI.

TRes sunt Potentiæ animæ Vegetativæ, scilicèt; nutritiva, augmentativa, & generativa. quæ tam inter se, quàm à calore naturali, & à temperamento primarum qualitatum, distinguuntur realiter. ex illisq; generativa, est magis connaturalis viuentibus perfectis: omnes subdividuntur in alias potentias partiales sibi deservientes. Materia circa quam illarum, est alimentum; idq; *remota*, corpus mixtum aliti temperamento conveniens: *proximaverò*, est sanguis, vel humor illi correspondens; non quidem ex omni parte absolutè, sed solùm comparativè respectu alimenti remotioris.

XXXXVII.

SEnsus externi sunt quinq; vtpotè: visus, auditus, odoratus, gustus, & tactus. qui respectu Obiecti, quod recipiunt, sunt potentiæ passivæ: respectu verò operationis, quam eliciunt cognoscendo illud, activæ: non sunt reflexivi supra suas sensationes (ita vt eas percipiant actu reflexo, qui sit cognitio cognitionis existentis in eadem potentia.) imò nec actu directo, eas percipere possunt. Ad quas quidem sensationes, concurrit tam potentia, quàm species impressa Objecti. Dicti sensus, non possunt errare per se circa propria sensibilia, sed solùm per accidens: circa verò communia, errant per se; & multò magis per accidens. Sensibile positum immediatè supra sensum externum, non facit sensationem: idem sensibile, si sit vehemens, lædit sensum, tam vt est agens naturale; quàm vt est agens intentionale: Sensibile Commune, non imprimit sensui speciem propriam, & distinctam à speciè sensibilis proprij.

XXXXVIII.

OBjectum Formale & adæquatum visûs, est lux, & color sub ratione visibilis; subiectum seu organum, humor crystallinus seu pupilla; & nervi optici, potissimùm in illa parte, in qua coniunguntur: medium, est corpus perspicuum seu diaphanum. Obiectum Auditûs, est sonus; subiectum, quædam subtilis, & veluti aërea substantia, animata tamen. quæ vocatur aër adnatus seu insitus, & vitalis; & nervi auditorij, vsq; ad illam partem, in qua conjunguntur: medium, est aër, aut aliquod corpus subtile, & facilè commovibile. vt est vg. aqua. Objectum Odoratûs, est odor; subiectum, caruncułæ seu processus mamillâres; & duo nervi, quibus continuantur: medium, est aër & aqua. Objectum gustûs, est sapor: subjectum nervi quidam molliores, à cerebro descendentes, & sub carne per totam linguam sparsi: medium, est internum, nempè ipsa caro linguæ, quâ nervi gustatorij teguntur. Objectum tactûs, sunt quatuor primæ qualitates, & nonnullæ secundæ: subjectum, est nervus quidam, sub carne per totum corpus diffusus ad instar retis: medium, est quid internum, vtpotè caro ipsa, per quam, species qualitatum tangibilium deferuntur ad illius organum.

XXXXIX.

PRæter quinq; sensus externos, dantur quatuor interni. nempè: sensus communis imaginatio seu phantasia, æstimativa, & memoria. qui sensus, tam in hominibus & brutis; quàm inter se distinguuntur realiter, idq; specificè. egentq; speciebus intentionalibus, ad exercendas suas sensationes. Ex his sensus communis reperitur in omnibus animalibus, non item alij; sed saltim aliquis eorum, reperitur in illis. Somnia potissimùm ad imaginationem pertinent.

L.

ANima rationalis, est purè spiritualis, & immortalis. quæ non producitur ante productionem corporis, sed immediatè creatur à DEO, quando corpus est perfectè, & vltimatè dispositum: continet formaliter, & eminenter animam vegetativam, & sensitivam. non quidem formaliter secundùm speciales differentias, quas habet in brutis & plantis; sed secundùm rationes communes: vna est per-

fectior altera, perfectione substantiali individuali: potentiæ illius, sunt intellectus & voluntas. & quidem intellectus, dividitur in agentem, & possibilem; qui inter se distinguuntur realiter: possibilis, licèt in genere entis, non sit pura potentia; est tamen talis in genere intelligibilium. hic, vtpotè potentia spiritualis, immediatè subiectatur in anima rationali; nulloq; organo corporeo affigitur: agens quoq;, est potentia spiritualis, animæ rationali inhærens; non tamen intelligens.

LI.

OBjectum intellectûs possibilis adæquatum, idq; extensivum, est ens in tota sua latitudine; intensivum verò seu proportionatum pro hoc statu, est quidditas, seu natura materialis, à singularibus abstracta. Agens, simul cum phantasmate, concurrit ad productionem speciei intelligibilis. ille, tanquam causa principalis; hoc verò, tanquam instrumentalis. Species intelligibilis impressa, concurrit activè ad cognitionem. estq; formalis similitudo Objecti; imò, & ipsum Obiectum, secundùm esse repræsentativum: secundùm quod esse, potentia cognoscitiva, vnitur Objecto & speciei impressæ; quæ species in intellectu possibili recepta, repræsentat naturam Vniversalem materialem pro hoc statu. Omnis intellectio creata, exceptâ visione Beatâ producit verbum mentis, seu speciem expressam, realiter entitative distinctam ab intellectione; non tamen à dictione. cùm qua est eadem formaliter operatio.

LII.

VOluntas nostra est libera in suis actionibus. estq; simpliciter imperfectior intellectu; & solùm secundùm quid perfectior illo: hæc, in statu viæ fertur in bonum commune, seu in beatitudinem necessariò, necessitate quo ad specificationem, seu contrarietatis; non tamen quoad exercitium, seu contradictionis: in bonum verò in particulari, neutra; jam autem in statu Patriæ, vtraq; fertur in illud. Porrò à voluntate & intellectu, non distinguitur potentia loco motiva, seu executiva activa, in homine quo ad motus liberos; & à phantasia, aut alio sensu interno, & appetitu sensitivo, quo ad motus purè naturales, seu indeliberatos: sicut nec in brutis, distinguitur quoad dictos sensus, & appetitum sensitivum.

LIII.

DAtur in omnibus creaturis potentia obedientialis passiva; non item activa. quæ potentia, non est præcisè naturalis; nec est entitas intrinsecè supernaturalis, distincta formaliter ab entitate rei naturalis; sed intrinsecè & entitativè est naturalis; extrinsecè verò, & terminativè, supernaturalis. Eadem potentia consistit formaliter in entitate positiva; non autem in negativa, seu in sola non repugnantia ad recipiendum aliquid supernaturale; licèt hanc non repugnantiam entitas illa positiva connotet. quæ quidem entitas, ab entitate creaturæ, nonnisi penes explicitum & implicitum distinguitur. Porro, potentia obedientialis, in omnibus, & ad omnia, est vna specie: ab hac distincta, non datur potentia neutra.

LIV.

STatus separationis, non est naturalis, aut violentus, sed præter naturalis, animæ rationali. quæ, in illo, habet appetitum innatum, seu inclinationem positivam, ad vnionem cum corpore quo ad substantiam; non tamen quoad modum: quemadmodùm etiam, non habet appetitum elicitum absolutum, & efficacem; sed tantùm inefficacem, & conditionatum. Supposita tamen fide, habet efficacem, & absolutum: in eodem statu separationis, non intelligit per species, quas secum defert ex hac vita; sed per sibi infusas à DEO, vt Authore naturæ. per quas species, cognoscit omnia entia naturalia; non quidem perfectè, & distinctè, sed solùm in confuso, & in communi. quamvis etiam aliqua singulatia cognoscat: cuius cognitionem, distantia localis non impedit. ea tamen quæ hic aguntur, naturaliter cognoscere nequit: se ipsam cognoscit per suam substantiam: cognoscit quoq; evidenter abstractive, quoad an est, DEUM. Cui Authori Naturæ, ab omni creatura sit Laus, Honor, & Gloria in æternum.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.



